

nus per ipsum calicem extrorsum du-
cunt: atque hac emittit, atque exigit
tum cibum, tum humorem, perinde
atque si hic os sit, ille autem exitus
excrementi. Atque horum alter cras-
sior est, alter tenuior. Intus autem
in parte utraque sinus dissepti, con-
tinua re pusilla quadam. In eorum
altero humor inest. Caeterarum par-
tium, quae vel instrumenti nomine
vel officio sensuum, ac ne excremen-
ta quidem cujusquam modi qualia
in aliis sunt, quicquam habent. Et
haec quidem Aristoteles. His addit
Rondeletius, non solum petris, sed
et Ostreorum testis affixa esse, et in
illis veluti duros tumores cerni. Ovi,
addit, figura sunt aliquanto longiore.
Testa extra fusca, inaequalis, ri-
gida, intus argentea, laevis. Tethyo-
rum caro membrana alia alba involu-
luta ventriculi formam refert, rotun-
dam scilicet et oblongam, meatus
crassior et amplior gulae propor-
tione respondet: alter minor podice.
Colore uterque est rutilo vel rufo,
reliquum corpus croceum.

Locus.

In Aegypto nulla inveniuntur. In
Smyrna praestantissima. In Oceano
ad Gallicum littus sunt frequentia,
Parisiisque in foro piscario saepe
Ostreorum testis adhaerentia visun-
tur. Signantur etiam in cavernis fa-
xorum: maxime vero in coeno et
litoribus, quae phyco algave mari-
na abundant. Inveniuntur et in musco
marino, aut aliis in herbis foliisve
marinis. Unde Plinius. Tetheae in-
veniuntur fugentes in foliis marinis,
seu potius scopulis. Hinc Eustathius
 $\tau\eta\theta\eta$ dicta conjicit a verbo $\theta\omega$, quod
significat $\theta\eta\lambda\alpha\zeta\omega$, quod et pro lactare
et sugere accipitur. Fungorum ve-
rius sunt generis quam piscium: et
quia nullum viscus intus habent, sed
carnem uniformem, nihil de anima-
lis natura habere videtur.

Motus.

Motum et sensum qui illis inest ab
interno provenire, cum multa Con-
chylia et Crustacea intus habeant, a

quibus motus provenit, Plinius au-
thor est.

Rubra cibo sunt idonea: pallida
vero aut sublutea amarulenta Ma-
farius prodidit. Xenocrates pluri-
mum dare alimenti tradit, coriaque
maxime eorum non confici.

*Medicinam si attendamus, tormi-
nibus et inflationibus succurrere, et
tenesimum dissolvere renumque vi-
tia; in cibo sumpto lateris dolores le-
nire, apud Plinium habemus.* Con-
ferunt etiam ischiadicis ventrique
superiori una cum ruta: item cache-
cticis, quorum corpus macie confi-
cit cum ruta et melle.

Quantum ad *Differentias et spe-* Differen-
cies quatuor Aldrovandus posuit. tiae.
Prima parte externo et interno py- Aldrov. l. 4.
ri formam aemulatur, et colore est ^{c. 5.}
cinereo: ablataque cuticula substan-
tia apparet densa poris exiguis, vix-
que visibilibus referata, per quos aqua
attrahitur, et per universum corpus
distribuitur. Duo grandiora habet
foramina, unum oblongum; alterum
rotundum; hoc alvo, illud ori re-
spondere videtur. In his quandoque
conspiciuntur Scyllari, Cancelli, et
alia crustacea; item trochi, turbines
et Ostracoderma.

Altera est figura mali, foraminibus
duobus; rotundo, quod majus est;
oblongo, quod minus. In eo Scylla-
rus continebatur, qui totum fere il-
lius foraminis continebat interval-
lum. Cauda erat revoluta.

Tertia figura est inaequali, tubero-
sa: foramine uno oblongo majore,
quod in opposita erat parte minore.
In eo continebatur Purpura, propor-
tione magnitudinis Tethyi, ut etiam
exterius corium penetraret.

Quarta, figura est rotunda, sed in-
ferius compressa: foramen habet tam
exiguum, ut vix conspici possit: In-
tus, crustaceum aliquod, ut in partis
superioris foramine conspicitur.

